



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii Dei

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Sectio IV. Vtrùm libertas Christi componi possit cum impeccabilitate, &
perfectione, per libertatem inter indiuidua?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

SUBSECTIO V.

Quid de hac sententia?

§. 81. **H**ÆC Caietani sententia sic propugnata non est improbabilis, & est aptissima ad componendam Christi libertatem cum impeccabilitate, vt à Caietano composita fuit in angelis pro primo creationis instanti: tamen non innititur fundamento graui, & multis quatitur argumentis non leuibus, & est contra communem Theologorum assensum: ob quod eam impugnaui latè disp. 15. de Anima sect. 7. & disputationibus de voluntario. & quamuis argumentis probabiliter respondetur, hoc non est satis ad deserendam sententiam communem: cum ad hunc Christi scopum suppetant alia rationes. Hac item vtur in parte sect. 7.

SECTIO IV.

Vtrum libertas Christi componi possit cum impeccabilitate, & perfectione, per libertatem inter indiuidua?

SUBSECTIO I.

Prima sententia.

§. 82. **L**ibertatem inter duos indiuiduos actus sufficere ad libertatem cum merito, indicant nonnulli, quorum meminere P. Suarez disp. 37. & P. Vasqu. disp. 77. Quam sententiam latè defendit P. Phil. Monz. disp. 11. cap. 11. quæ bipartita esse potest. Primum indiuidua illius speciei non esse omnino æqualia, sed inæqualia substantialiter intra eandem speciem infimam. De qua sententia agendum est postea. Secundò, illa indiuidua possunt esse omnino similia intrinsecè sine vlla inæqualitate substantiali. in quo sensu nunc examinatur.

§. 83. Hæc indiuidua possunt considerari esse in nostra potestate bifariam. Primum, quòd ex parte obiecti sint omnia præscripta Christo, mors, hoc numero lignum, hic Caluarie locus, hi clauui, hæc hora, &c. Electio autem indiuiduorum est ex parte subiecti: Christus enim cognoscens per scientiam beatam, & infusam sibi paratum concursum ad duos actus diuisiue, quorum vtrouis possit exequi omnia præcepta, nec se posse exercere vtrumque simul, sed alterutrum; cognoscens autem vtrumque, ipse seipsum inflexit ad hunc actum potius, quàm ad alterum, in quo est libertas Christi: nullo enim præcepto, nec consilio adigitur ad hunc potius, quàm ad illum: vteruis enim æquè placebit Deo. In quo sensu nullum vidi huius sententia patronum, nisi fortè aliquem iuuenem ingeniosum. De indiuiduorum determinatione egi disp. 10. Physic. §. 59.

§. 84. Alij hanc electionem admittunt non ex parte subiecti, sed obiecti. Præscribuntur enim omnia Christo, secundum speciem, non tamen in indiuiduo. Ex gr. præcipitur mors in Caluarie, certa die, præcipiuntur quatuor clauui, &c. at non præscribitur certa hæc pars Caluarie, nec certa huius diei hora, nec hi numero clauui. est autem Christo

libera electio loci, horæ & clauuorum: si eligit horam tertiam, eam elegit actu numero distincto ab eo, quo eligeret horam quartam aut secundam. Idem dixerim de hac parte Caluarie, de his clauuis, &c. Actus circa hæc obiecta sunt omnino æquales; quia & obiecta æqualia. Horum exercitium & electio est in voluntate Christi: quia nec vnio, nec visio, nec fructio vendicant sibi magis hos, quàm illos actus, hæc, quàm illa obiecta, quæ componuntur, & libertas & summa perfectio.

SUBSECTIO II.

Impugnatur.

§. 85. **P**rimùm illa indiuiduorum electio ex parte subiecti, de qua §. 83. displicet ipse iudicem sententia auctoribus, vt P. Monzeo disp. 11. cap. 12. censet enim cum communiori sententia, electionem indiuiduorum non pendere ex sola voluntate Dei, sed ex toto incurfu circumstantiarum. Vnde non est in voluntate Christi hoc indiuiduum arripere potius quàm illud; aut in eius potestate operari, & non operari actum: hunc autem præ alio eligere minimè gentium: & licet à decreto Dei pendeat hoc indiuiduum, potius quàm illud, difficile quidem est id pendere à voluntate creata. Mitto tamen physicam difficultatem, vt gradum faciam ad Theologicam.

§. 86. Impugnatur autem hæc libertas subiectiua, quia tantum seruiret Christo, vt vnti scientia beata & infusa; non tamen Christo secundum se: ergo hæc non est satis ad componendam impeccabilitatem Christi secundum se cum libertate. Consequentia patet: quia Christus non solum est impeccabilis ratione status beati, sed etiam ratione vnionis, quæ ex conceptu suo separari potest diuinitus à scientia beante, & infusa. Antecedens probò: quia illa subiectiua electio indiuiduorum non est in potestate operantis per fidem, aut scientiam naturalem: ea enim electio pendet à cognitione expressa indiuiduorum in indiuiduo, quam non possumus habere per fidem & scientiam naturalem viæ, vt experimento percipimus.

§. 87. Tertiò impugnatur vtraque libertas tantum subiectiua, quàm obiectiua, non quòd non sit absolute libertas ad exercendum actum, & non exercendum; sed quòd nullius sit momenti ad impetranda præmia. Potest illa appellari libertas physica, & non moralis; non quia sit in ente purè physico, & naturali, qualis est appetitus sentiens: est enim in ente morali, id est, in actu indifferenti, orto à cognitione perfecta: sed ideò non dicitur moralis, quia apud prudentes perinde est ad impetranda præmia, ac si omni libertate careret: ob id quæ probabo eum actum non esse bonum moraliter, sed tantum honestum, qualis est fructio Dei.

§. 88. Igitur sic argumentor: Actus moraliter liber, & dignus præmio, debet oriri à suis principijs sine necessitate ad alium actum per se illi æqualem; ita vt sit in potestate voluntatis omittere actum illum cum cæteris æqualibus eiusdem speciei: nec volentem esse adstrictum ad alium eiusdem rationis, ex suppositione quòd hunc recuset: sed hoc non reperitur in hac sententia: ergo actus ille non est bonus moraliter. Probo Maiorem: quia ideo impetratur præmium, & homo est laude dignus,

S. Thom.
2. 2. 2. 11.

gnus, quia Deo offert id, quod poterat non offerre. Meritum enim non impetratur per solam entitatem actus, ut patet in fruitione Dei, quæ honestior est misericordia libera, & nihil impetrat: requiritur igitur præter honestatem facultas eam negandi: sed hæc facultas non reperitur in hoc casu: ergo. Probo Minorem: quia eò quòd ipse actus negetur, datur necessariò, & sine noua libertate alius æquè bonus per se: ergo nihil datur, quod non possit dari. Probo consequentiam: quia necessariò datur alterum è duobus per se æqualibus. Quod explicatur exemplo vulgato. Si quis mihi debeat duos aureos, neque possit illos mihi negare, sed sit adstrictus à Deo, ut mihi illos det; si iste habeat quatuor aureos omnino æquales, quam gratiam à me impetrabit, si offerat hos binos; potius quàm illos? Item, si quis esset necessariò moriturus in altero è duobus lectis, quam gratiam impetraret, eò quòd eligeret hunc, potius quàm illum? Certè hæc puerilia videntur aspectu primo, & me latent, quæ his auctoribus sunt recondita.

§. 89. Secundò, confirmatur exemplo efficaci: actus liber circa obiectum turpe amittit malitiam moralem eo præcisè quòd operans adstringatur ad alterum è duobus moralibus: ergo eadem ratione actus honestus amittit suam bonitatem moralem per determinationem ad alterum è duobus æqualibus. Probo antecedens à casu possibili de potentia absoluta. Deus potest adstringere hominem ad occidendum alterum è duobus hominibus, quorum nex æqualem habeat turpitudinem secundum se consideratam: potest quæ relinquere hominem illum cum iudicio, quo arbitretur se peccare in altero occidendo; hic potest eligere necem Antonij, potius quàm Francisci: quia Deus eum non adstrinxit in actu primo ad alterum. nex Antonij tam est illi voluntaria & libera, quàm Christo ponitur indiuiduum liberum: sed illa nex nullam habet malitiam moralem dignam vituperatione & supplicio, magis quàm si nullam haberet libertatem, ut fatentur oppositæ sententiæ auctores: est quæ per se notum: quia enim æqualitate Deus supplicium daret æternum pro nece vnius hominis; quæ si omitteteretur, inferret necessariò aliam: Ratio est: quia ille homo non potuit abstinere ab vtraque. quod item patet in habente conscientiam erroneam, sibi non licere abstinere à duobus obiectis, quæ censet esse mala: qui in sententia admittente eam conscientiam perplexam, non peccaret: quia impossibile esset ab vtraque actione abstinere. Consequentiam verò probo: quia eadem libertas exigitur ad bonitatem, & ad malitiam: & quemadmodum circa turpia homo esset adstrictus ad vnum efficiendum disiunctiue, ita & circa honesta. Cur igitur aliquis impetret vitam æternam pro illa indiuidui electione magis, quàm alius mereatur æternam pœnam?

§. 90. Responderi potest, latum esse discrimen: implicat, ut aliquis peccet, quin sit obligatus ad abstinendum ab ea actione: sed implicat in nostro euentu hominem illum esse obligatum ad abstinendum à nece Antonij: ergo implicat, ut peccet. Maior videtur esse clara: quia omne peccatum est contra legem, & ab illa prohibitum: ergo tenemur ab illo abstinere. Minor probatur: quia non potest aliquis obligari ad efficiendum aliud peccatum: at ex suppositione quòd homo ille non occideret An-

tonium, esset obstrictus ad occidendum Franciscum; quòd si peccatum esset, nõ esset ad id obligatus. At verò de ratione virtutis non est, ut non possumus eius actum omittit exercendo alium alius virtutis necessariò annexum omissioni alterius. Quod probatur Primò, in Christo, qui in omnium sententia fuit adstrictus ad bonum; ex suppositione autem quòd abstinere ab hac virtute, erat necessariò exerciturus aliam. Secundò, patet in Deo, qui non potuit non exercere aliquem actum bonum. Tertio, ratione: quia virtus nihil est præter actum liberum de obiecto, & ceteris circumstantijs bonis: ergo non ducitur bonum argumentum à vitio ad virtutem.

§. 91. Respondeo Primò, doctrinam illam vniuersim esse falsam: contingere enim potest (in sententia de conscientia perplexa: item ex casu impossibili, rectè arguitur) ut aliquis peccet nisi abstinere ab actione turpi, cuius omissioni annexa sit alia actio turpis, ut si quis sit adstrictus ad duo obiecta turpia inæqualia, ex. gr. ad homicidium & mendacium, ita ut existimet se non posse ab vtraque abstinere, & vtrumque sibi existimet esse peccatum; hic tenetur abstinere ab homicidio, ita ut occidendo peccet; & tenetur exercere mendacium, quod secundum se est turpe & prohibitum, in quo tunc non peccat: quia mendacium est coniunctum necessariò omissioni maioris mali: ergo rectè potest aliquis esse obligatus ad abstinendum ab aliqua actione; quamuis illa priuatio sit coniuncta alicui obiecto turpi: ergo si in nostro casu non peccatur hoc numero homicidio, non est, quòd eius ommissio sit necessariò coniuncta alij obiecto turpi; sed quia æqualiter turpi, quod perinde est in estimatione morali, ac si esset adstricta voluntas ad vnum: ergo eadem ratione voluntas adstricta ad duo bona æqualia non exercet virtutem moralem circa vnum: quia perinde est, ac si esset ad illud adstricta. Exerceret autem virtus moralis circa bona inæqualia, ut peccatum circa turpia, quid autem sit de possibilitate huius casus, vel à Deo determinante, vel à conscientia perplexa, certè ex eius hypothese rectè sequitur, eum hominem peccaturum exercendo maius malum.

§. 92. Secundò, in omissione huius homicidij reperitur aliquid non prohibitum formaliter, sed præceptum, & quod est in nostra potestate, nempe carentia huius homicidij, coniunctio autem alterius homicidij est distincta ab huius omissione. Si enim ego liberè occido Antonium, ideo est quia possum Franciscum occidere: possum enim vtrumque necessariò: ergo libertas ideo est, quia ita occido, ut possum non occidere: at non occidere non est prohibitum, sed præceptum: ergo possum cessare ab homicidio, quin formaliter ipsa cessatione libera faciam aliquid formaliter contra legem: ideo autem non pecco, quia illi omissioni præceptæ coniungitur necessariò aliud homicidium æquale, quod satis fuit ad adimendam moralitatem homicidij prioris: ergo eadem ratione, licet in mea potestate sit hic indiuiduus actus, & eius carentia, quæ non est tam bona quàm ille, nullam exerceo virtutem moralem: quia eius omissioni libera est necessariò coniunctum aliud bonum æquale præceptum. Probo consequentiam: quia vtrouique reperitur potestas ad actum & carentiam: quæ in turpibus est prohibita, sicut in honestis actus est præceptus:

ceptus: utrobique item reperitur aliud bonum, aut malum æquale coniunctum necessariò omissioni alterius: ergo utrobique adimitur moralitas, vel retinetur.

§. 93. Hinc deduces, si Christo essent præcepta duo obiecta inæqualia, quorum alterum esset necessariò præstiturus, & ille offerret minus bonum, tunc nihil meritum: quia liberè se adstrinxit ad obiectum minus bonum, quod præstare poterat. Probatur Primum: quia si oblatio boni æqualis adimit moralitatem & æstimationem, multò melius eam adimet oblatio minoris boni, offerendi necessariò, ex suppositione quòd noller offerre maius. Secundò probatur ex §. 91. quia qui in casu ibi proposito committeret maius malum, peccaret; qui verò minus, non peccaret: sed eadem proportio seruatur in bonis: ergo. Equidem apud prudentes potius imputatur ad malum, quàm ad bonum. Si aliquis quærat infimam rationem soluendi debitum, vt qui datà operâ soluit mille nummos, quæsitis blancis; quod quidem argumentum esset odij, non infirmitatis.

§. 94. Ad argumentum ex §. 90. iam constat rationem esse eandem: cernitur autem clariùs in actu turpi; quia est contra legem. Item omnis virtus moralis est iuxta legem aliquam, maximè in casu proposito. illa autem lex est cum potentia ab ea abstinendi per aliquid ex se minus bonum: alioquin non relinquit obseruantiam liberam moraliter. Ad Primum de Christo, respondeo eius actus esse morales, vel quia potuit ab omnibus abstinere per puram omissionem; in quo clarissimè cernitur eius libertas: vel quia illi fuit optio data inter actus ex se & in abstracto inæquales; vel quia in multis occasionibus potest puram omissionem exercere.

§. 95. Ad Secundum de Deo in eodem §. 90. respondeo rē esse claram, admissā in Deo potentiā ad puram omissionem; eā autē exclusā, respondeo esse iuxta rectam rationem, exercere actum liberum, quando non est potestas, nisi inter æqualia. at verò ratio meriti exigit, vt ei, à quo speratur præmium, offeramus aliquod obsequium, quod in æstimatione possimus non offerre: si enim prudenter æstimemus non posse illud non offerre, non est locus præmio. in occasione autem, de qua disputamus, æstimaremur moraliter esse adstricti ad præstandum obsequium: quia necessitas physica ad præstandum alterum è duobus æqualibus, est in æstimatione morali necessitas ad alterū determinatè: Deus autem quolibet actu est æquè perfectus, quia quolibet secum coniungitur æqualiter: ob quòd non est dignus maiori laude in se ob vnum, quàm ob alios. At verò comparatione nostri est dignus maiori gratiarum actione, ob vnum, quàm ob alios: quia cum posset exercere alios æquè bonos in se, voluit hos exercere, quibus nobis præstat beneficia, quæ poterat non præstare. Argumentum esset bonum, si Deus esset adstrictus physice ad conferendum nobis aliquod beneficium inter duo æqualia: cum verò ad nullum sit adstrictus, sed ad omnia liberimus; non est simile argumentum: quia est à potente nobis negare beneficia, ad hominem impotentem obsequia negare.

Pet. Hurtado de Mendoza de Incarn. par. 7.

SUBSECTIO III.

*S. Thom.
q. 15. a. 2.*

Argumenta opposita sententia.

§. 96. **P**rimum argumentum ab opposita sententiæ auctoribus. Omnis actus verè liber tendens in obiectum honestum cum omnibus circumstantijs, est dignus laude & præmio: sed actus, de quo disputatur, est verè liber tendens in obiectum honestum cum omnibus circumstantijs debitis: ergo est dignus laude & præmio. Minor est certa. Maior constat: quia ille actus est moraliter bonus & virtuosus: sed omni actui moraliter bono debetur laus & præmium: ergo & illi. Maior probatur ex definitione actus virtuosus.

§. 97. Impugnatur ex §. 89. vbi probaui similem actum liberum circa obiectum turpe esse inhonestum; non tamen moraliter malum, nec dignum vituperatione & supplicio, licet actus malus definitur tendentia libera in obiectum turpe, aut dissonum rationi. Vt ergo definitio hæc indiget explicatione; ita & definitio actus moraliter boni.

§. 98. Pono, in libertate exigere aliquam extensionem in actu primo, vel ad puram omissionem, vel ad omissionem positiuam, quæ distincta sit specie ab omnibus indiuiduis, quæ fiunt liberè, vel ad alios actus bonos aut malos inæquales. Moueor Primum argumento proposito §. 89. Deinde, quia duplex est libertas: altera quoad exercitium, siue contradictionis; altera quoad speciem, siue contrarietatis. Libertas quoad exercitium est potestas ad faciendum actum, & non faciendum, quæ potestas accipienda est & formaliter, & æquiuulenter; ita vt actus ille possit non fieri, & omnes illi æquiuulentes per se: nam si omissioni huius actus annexus est necessariò alius æquè bonus aut malus, perinde est omittere hunc, ac non omittere. Vnde in æstimatione morali non habet libertatem contradictionis: quia non habet libertatem ad omitendum æquè bonum per se, nec æquè malum. Hæc autem libertas contradictionis physice & moraliter tunc seruatur, quando possumus purè omittere, aut positiuè, nolendo vllum actum æqualem. libertas autem quoad speciem non potest esse inter sola indiuidua eiusdem speciei. De hac autem libertate quoad indiuidua non meminere philosophi: quia electio subiectiua à pluribus negatur; obiectiua autem est impossibilis ex natura rei, item & subiectiua. Quid igitur agerent de illis? quia philosophia moralis mores instruit, non impossibilia.

§. 99. Ad argumentum ex §. 96. distingo Maiorem: actus est dignus laude, quando fit liberè cum extensione explicata, concedo Maiorem: sicut est dignus vituperatione, quando est de obiecto turpi; nego autem, quando libertas est sine illa extensione: quia apud prudentes perinde est, ac si non esset. Ad probationem Maioris, concedo actum illum esse bonum bonitate honestatis, vt est fructio beata, non tamen bonum moraliter: sicut in euentu §. 89. actus ille est malus malitia turpitudinis aut inhonestatis, non tamen malitia morali. Ad probationem, respondeo definitionem intelligendam, vt dixi §. 98.

§. 100. Idem est in euentu ex §. 93. si quis enim

R r se

S. Thom.
9. 2. a. 1.

se adstringit actui, cui annexa est necessariò omisio maioris boni, & omisio alterius actus liberi annexitur necessariò exercitium minimi boni, non est in actu primo libertatis sufficiens extensio. sicut inter obiecta turpia non peccat, qui eligeret minus turpe: quia illi electioni annexa est necessariò carentia turpioris, in sensu explicato §. 91.

§. 101. Arguunt Secundo, ex Deo. Tertio, ex Christo, quibus respondi §. 94. & 95. Arguunt Quarto, quia in operibus Christi, quod præcipue attenditur, est valor: hic autem per se est idem in omnibus actibus: ergo. Respondeo, hinc probari Christo non esse nisi vnum meritum: quia quod præcipue attenditur, est valor: hic autem est per se vnum in omnibus. Distinguo Maiorem: quod præcipue attenditur in ratione dignificandi, concedo esse valorem. Item concedo præcipuum caput eius valoris esse per se vnum, quod est Verbum ipsum; nec tamen solum: pertinet enim ad valorem bonitas intrinseca ipsis actibus: nego autem valorem attendi quoad liberam oblationem muneris: hæc enim est solus actus liber: libertas enim non versatur circa valorem Verbi. Considerat igitur Deus oblationem liberam cum circumstantia valoris ab hypostasi: oblatio autem libera non est æqualis ex se, sed per se inæqualis. Si autem admittamus possibilem puram omisionem, potuit non offerri nec valor, nec validum: quam in multis occasionibus admitto: in quibus nihil vrget hoc argumentum. si verò Christus sit exerciturus necessariò aliquem actum, exercebit eum, qui ex se melior est: quod satis est ad meritum. omnes autem actus Christi esse æquales, est in concreto, & per accidens ratione suppositi: at per se, & in abstracto sunt inæquales: quod satis est ad meritum, de quo inferius.

§. 102. Quinto mouentur. Si eo per se meritum est, quia actus exercitus liberè est melior actu omisso: ergo non est meritorius ratione substantiæ, sed ratione excessus: hoc autem est absurdum: ergo. Maior probatur: quia ideo non meretur actus exercitus, quia actus annexus eius omisio est æquè bonus. Nego Maiorem. Ad probationem, respondeo actus inæquales non esse æquales secundum vnâ partem, inæquales verò secundum aliam: sed totos actus esse essentialiter inæquales. Vnde tota substantia est libera moraliter, & meritoria. Si autem consideres moraliter aliquam æquiualentiam vnus actus cum alio explicatam per ordinem ad præmium debitum ratione obiecti: adhuc est libertas moralis in tota substantia actus, quia tota illa est amor liber de excessu obiecti; & de tota substantia obiecti: sed illa ratio amandi maius bonum est bona moraliter: ergo & tota substantia actus. Item substantia obiecti est intrinsecè melior: igitur actus omni ex capite est bonus.

§. 103. Vltimum argumentum capitur ex Concilio Trident. sess. 6. cap. 16. definienti, iustificatis, & rectè operantibus, & liberè, & ex gratia per Christum nihil deesse, quo minus mereantur vitam æternam, & eius augmentum. Confirmatur. Illa opera sunt ex gratia per Christum. Respondeo, libertatem accipi à Concilio cum extensione explicata, qualis includitur in peccatoribus, & qualis naturaliter contingit. De hac autem libertate tam adstricta Concilio nec cogitauit quidem. Ad confirmationem, responderetur ex gratia per Christum fieri in nobis multos actus supernaturales

quoad substantiam, qui directè fiunt à gratia per Christum, vt à causa principaliori, qui tamen non merentur vitam æternam: quales sunt subitæ aliq̄ excitaciones intellectus & voluntatis, visio item beata, & amor beatificus, qui sunt dona per Christum; ad quorum tamen substantiam necessaria est gratia supernaturalis.

SVBSECTIO IV.

Alia eiusdem sententia explicantur.

§. 104. **P** Monzeus disp. 9. cap. 11. à vers. *Ea verò*, defendit potuisse Christum mereri amore beatifico, quia necessariò est quoad substantiam, vel speciem; est tamen liber quoad diuersa indiuidua, non quidem ob electionem subiectiuam, cuius memini §. 83. sed obiectiuam. Beatus intuens Deum cognoscit in Deo plures creaturas: visio beata illum adstringit ad amandum Deum, non tamen ad amandas creaturas, nec ad procuranda Deo extrinseca bona, nominis celebrationem, honorem, idque genus alia. Potest beatus exercere amorè solius Dei, qui amor est omnino liber quoad indiuiduum, quia potuit non esse. Potest item amare Deum cum celebratione nominis, aliisque bonis externis, quæ Deus plurimi facit. Hic actus etiam est liber, non solum in intrinseca indiuiduatione, sed etiam ratione obiecti secundarij, quod ita amatur à beato, vt potuerit non amari, vel per puram omisionem actus, vel per positiuam, qua diceret, Nolo amare creaturas: visio enim Dei adstringit beatum ad aliquem amorem Dei vagè, non tamen ad hunc in singulari, vel ad illum.

§. 105. Fateor hanc sententiam non quati machinis, quibus superior: quia offert Deo actum aliquem meliorem, quem posset omittere beatus. item offert Deo bona æstimata digna, ad quæ, nec ad alia æquiualentia, non tenetur beatus. Impugnatur tamen: quia licet Christus ratione præcepti non sit adstrictus ad ea bona procuranda Deo; est tamen ratione perfectionis. Vnde concludo alterum è duobus, aut Christum posse esse imperfectum, quia potest omittere maius bonum, aut eius impotentiam ad imperfectione esse explicandam per æquale desiderium Dei circa obiecta bona. Sic autem quid est opus, vt huiusmodi se conijciant in angustias indiuiduorum, cum illis pateat amplius campus ad diuagandum per actus diuersos in specie? Vtrum actus ille sit liber, disquiram paulò post.

SECTIO V.

Sententia P. Vasquez & aliorum.

§. 106. **C**hristo non esse præceptas omnes circumstantias, nec motiua, ea que ratione componi libertatem cum impeccabilitate, dixit apertè B. Thomas qu. 18. art. 4. ad 3. constituens Christum determinatum ad bonum in communi, non tamen ad hoc, nec ad illud determinatè. Consentiant P. Valent. disp. 1. q. 19. punct. 2. vers. *Magis igitur approbo*. Vasquez disp. 47. c. 5. Monz. disp. 9. c. 10. Ragula 2. p. disp. 2. Quam sententiam probabilè censet P. Suarez disp. 37. sect. 3. v. *Hæc responsio*.
§. 107.